INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

Inter Monachos Benedictinos, solemni Religionis voto obnoxium, plures annos egisse Divum Thomam, propugnat Historicæ Disquisitionis Auctor. Eadem jam dudum fuerat Angeli de Nuce sententia. Obscure locuti sunt Constantinus Cajetanus, & Marcus-Antonius Scipio. Nonnisi oblatum ac Novitium fuisse Thomam Casini, censet Joannes Caramuel: vel etiam sæculari duntaxat veste indutum, sanctis moribus imbuendum, non abnuit Erasmus Gattula.

CAPUT II.

Argumenta, quæ videntur evincere, quinquennem Thomam a parentibus Deo oblatum apud Casinenses. Ritus oblationis hujusmodi, si qua fuit, Monachatum ejusdem aut solemnem professionem non probat. Neque illum suadent, quæ decentiæ argumenta vocantur. Adhuc impuberem Thomam, Abbate cedente juri, si quod acquisiverat, ad sæculum rediisse in Scholis Neapolitanis informandum litteris, satis indicant Historiæ.

CAPUT III.

Argumentis, quæ pro Divi Thomæ oblatione afferuntur, traditum duntaxat ipsum Casinatibus, tamquam nobilem sæcularem puerum, moribus, & litteris instruendum, evincitur. Damiani sententia perperam opponitur. Sæcularium puerorum scholis non obstant Monachorum mores, & consuetudines. De habitu disseritur, quem Casini gestare Thomas potuerit.

CAPUT IV.

Ante pubertatis annos Casino discedit Thomas, a parentibus de consilio Abbatis revocatus. Neapolim mittitur ad Scholas sæculares. Ejusdem familiaritas, & consuetudo cum Fratribus Ordinis Prædicatorum.

CAPUT V.

Thomas tum Sæculo demum valedixit, cum Fratrum Prædicatorum Ordini nomen dedit. Disquisitionis mala fides, & oscitantia.

CAPUT VI.

Thomæ Aquinati, jam vestem Dominicanam induto, Casinensem Abbatiam ab Innocentio quarto Summo Pontifice oblatam, referunt Thomas de Cantimprato, & Ptolomæus Lucensis. Hæc narratio diligentius expenditur. Monachatus Thomæ iterum profligatur.

CAPUT VII.

Sachetti Malaspinæ, Monastico instituto addicentis Thomam, pluribus elevatur, elideturque testimonium. Acta translationis Corporis ejus expenduntur, quæ Monachatum ejusdem evertunt.

CAPUT VIII.

Additamenti ad vetustum Casinense Martyrologium fides non est idonea, qua Monachatus Thomæ suaderi queat. Nonnullæ, quæ feruntur ejusdem Monachatus indicia, levitatis & falsi convicta, ac depulsa.

CAPUT IX.

Chronographia gestorum Sancti Thomæ, a Disquisitore aliisque posita expenditur: eademque reformatur. Postremum contra Monachatum ejusdem argumentum.

F. JO. FRAN. BERNARDI MARIÆ DE RUBEIS ADVERSUS MONACHATUM BENEDICTINUM DIVI THOMÆ AQUINATIS APUD CASINENSES,

Antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem se transferret,

DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM.

Inter Monachos Benedictinos, solemni religionis voto obnoxium plures annos egisse Divum Thomam, propugnat cujusdam Historicæ Disquisitionis Auctor. Eadem jam dudum fuerat Angeli de Nuce sententia. Obscure loquuti sunt Costantinus Cajetanus, & Marcus Antonius Scipio. Nonnisi Oblatum ac Novitium fuisse Thomam Casini, censet Joannes Caramuel: vel etiam sæculari dumtaxat veste indutum, sanctis moribus imbuendum, non abnuit Erasmus Gattula.

I. Ypis Lugdunensibus, revera Venetis, anno 1724. in lucem prodiit *Historica Disquisitio*, suppresso nomine Auctoris, *De Monachatu Benedictino Divi Thomæ Aquinatis apud Casinenses, antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem se transferret*. Doctissimo Viro, qui magna virtutis, & eruditionis opinione florebat, opellam adjudicavit communis fama: ipsumque proprio nomine appellat Marianus Armelinus in Bibliotheca Benedictino-Casinensi, Assisii anno 1731. impressa, in Elogio Angeli de Nuce. Nolim ego celeberrimi viri jam pridem vita functi turbare pios manes: satisque mihi erit, Auctorem Disquisitionis Historicæ, vel Disquisitorem deinceps vocare, quisquis ille fuerit. Spargi in vulgus, manibusque teri vix cœperat elucubratio, ad fucum faciendum aptissima, cum edita typis Andreæ Mercurii Veneti Responsio paucos post dies opposita est, quæ benevolo Lectorum animo judicioque ut exciperetur, per sese splendida causæ merita, quam tutandam susceperam, effecerunt. Titulus erat: *De Fabula Monachatus Benedictini Divi Thomæ Aquinatis: Responsio ad Historicam Disquisitionem &c.*

Elapso fere decennio, lucem vidit *Historia Abbatiæ Casinensis*, Venetiis anno 1733. excusa apud Sebastianum Coletum: in qua Doctissimus Auctor Erasmus Gattula Parte II. num. v. & in Addendis, idem pertractat argumentum, presso quidem contractoque calamo, sed eo robore omni quod rei conditio ferre poterat. Utriusque superioris Dissertationis altum priore loco silentium: ac leviuscula solummodo in Addendis mentio *Historicæ Disquisitionis* ab Anonymo vulgatæ; ut quæ pridem collegerat Gattula de Monachatu Divi Thomæ, ex Opusculo Angeli de Nuce, de quo dicendum infra, dubio procul desumpta, typis edidisse videatur, quin Anonymi Disquisitionem, meamque voluerit novo insumpto labore vocare ad examen. Quæ vero protulit ipse, diligentius ego expendi omnia: pronumque mihi fuit ut Opusculum secundis curis reficerem, novis auctum argumentis, pluribusque animadversionibus locupletatum, quo fictitius Divi Thomæ Monachatus magis magisque innotesceret.

Ad ipsam quæstionem accedo. Auctoris *Historicæ Disquisitionis* consilium, ac sententiam, verbis ejus jam refero. „ Quod hic demonstrandum „ (ait ille capite I. num. I.) aggredior, est: „ primo Thomam Aquinatem anno ætatis suæ „ quinto ad Cœnobium Casinense a parentibus „ missum esse, non piis dumtaxat moribus primisque litterarum rudimentis inter alios nobiles pueros informandum; sed Deo sub Divi Benedicti Monastica disciplina oblatum, ac velut „ in Monachum consecratum pro jure patriæ potestatis, ut jam tum religioso instituto adstrictus nunquam redire posset ad sæculum; sed „ potius adultam tandem ætatem adeptus, oblationem de se a parentibus factam, ratam haberet, „ vitamque Monasticam ibidem expresse solemniterque profiteretur: quod & ille pubertatem ingressus, pro illius ævi more, & ex sacris Ecclesiæ legibus executioni demandavit; eo plane „ modo quo Divus Placidus, Bonifacius Moguntinus Episcopus, Hildebrandus in Sede Pontificia Gregorius VII. nuncupatus, septennes Deo „ sub Divi Benedicti regula a parentibus suis „ oblati; Divus Maurus duodennis, Godefridus, „ Petrus Diaconus, Venerabilis Beda quinquennes; aliique bene multi a prima pueritia, Monastico instituto ex parentum voto adstricti & „ obligati, ut nec inde redire ad sæculum possent; puberes tandem facti, egressique ex ephebis, sacra vota quibus olim ex patria potestate damnati fuerant, solemniter exsolvo„ runt. "

Heic non sistit ille: promissa largius effundens, ultra progreditur: „ Alterum (inquiens) quod „ hic demonstrare instituo, ersi ex illo primo „ sponte fluit, istud est: Thomam Aquinatem, „ non anno, ut fingitur, vitæ nono vel decimo „ e Monachorum Casinensium cura & educatione „ revocatum ad Scholam Neapolitanam auditorem sæcularem & laicum a parentibus missum „ esse; unde ille sui postmodum juris factus, relicto sæculo, ad Dominicanos accesserit: sed „ contra potius annos circiter quindecim natum, „ emissaque professione, veri jam nominis Monachum, Abbatis sui jussu atque mandato, Neapolim contendisse, altioribus ibi studiis sub „ suorum tamen Monachorum disciplina perpoliendum; unde ille nonnisi post annos circiter „ octo (*etatis anno* 23.) victus cultusque asperioris, arctiorisque paupertatis studio succensus, „ ad surgentem Prædicatorum Ordinem se transtulerit; non relicto tunc primum sæculo, cui diu „ antea cucullum induens valedixerat, sed nova „ religiosæ vitæ ratione suscepta. "

Hinc vitæ gestorumque Thomæ chronographiam sic digerit, digestamque proponit. „ Anno 1220. „ die 16. Aprilis nascitur Divus Thomas in Castro Rocca-sicca, patre Landulfo Comite Aquinate, matre Theodora Theatis Comitis filia. "

„ Anno 1225. ætatis 5. ad Casinense Monasterium mittitur a parentibus, oblatus Deo „ atque dicatus sub regula Sancti Benedicti.

„ Anno 1235. ætatis 15. Monasticam ibidem „ professionem emittit; ac tum ad altiora studia „ Neapolim ab Abbate mittitur, sub Benedictinorum Magistrorum disciplina.

„ Anno 1239. ætatis 19. Casinensi Monasterio a Frederico II. Imperatore expilato, & in „ munitionem converso, cum cæteris Monachis „ ejicitur.

„ Anno 1243. ætatis 23. relictis Benedictinis, ad Dominicanos Prædicatores accedit, „ parentibus repugnantibus, ac filium repetentibus. "

II. Hæc primum Historicæ Disquisitionis Auctori non insedit opinatio: imo laudat ille capite VI. num. IV. adsertorem ejusdem, accerrimumque propugnatorem, Angelum de Nuce Casinensis Congregationis alumnum, Archiepiscopum Rossanensem, cujus sunt Notæ eruditissimæ in chronicon Casinense. „ Thomam Aquinatem (inquit) „ Religiosa professione Monachum, e Benedictinis Casinensibus ab Dominicanos transisse, in „ Academica collatione Romæ defenderat ille (Angelus de Nuce) in Aula Augustissimæ Christinæ Svecorum Reginæ, quo eruditorum omnium natio convenire consueverat. Quo cum „ monstri pene instar ab adstantibus exceptum esset, eorumque supercilia mentesque admiratione suspendisset; is ad redimendam dictorum fidem, Dissertationem scripto consignavit, cui „ titulum dedit: *Divum Thomam Monachum fuisse Benedictinum*, *ostenditur*. Cujus exemplum „ ante annos triginta (*anno circiter* 1695.) Romæ „ cum essem, ab Eminentissimo Cardinali de Noris mecum humanissime communicatum & vidi, & legi. " Haud ullus dubito, & exscriptam Dissertationem illam fuisse; ac pene eamdem cum *Historica Disquisitione*, quod attinet ad præcipua controversiæ & capita, & argumenta, dici posse.

Hanc Erasmus Gattula in Historia Abbatiæ Casinensis Parte II. num. 5. laudat *Dissertationem de Monachatu Sancti Thomæ*, *Eruditissimi Archiepiscopi Angeli de Nuce*: quam *manuscriptam* vidit ac legit, compendioque contractam ibidem profert. Calculos ita subducit, ut natus fuerit Thomas *initio saltem anni* 1225. ante diem septimam Martii *anno* 1230. pro illorum temporum more, *puer quinquennis*, Monachus Casinensis evaserit: confederit Neapoli *anno* 1239. ubi studia scientiarum perficeret, Casino cum reliquis Monachis in exilium actus violentia Frederici Imperatoris: Dominicano demum Ordini nomen dederit *anno* 1243. aut initio anni 1244. cum annum ætatis ageret decimumnonum, aut vicesimum: hinc vero *septem circiter annis* Casini manserit ad annum ætatis usque decimumtertium, ac *annis pariter septem* Neapoli diversatus fuerit in Benedictino S. Severini, vel S. Demetrii Monasterio, minime vero in Sæcularium domo. Jam vides, eadem esse controversiæ capita, chronographia excepta, eademque argumenta, quæ Angelus de Nuce in sua Dissertatione Ms. posuerat, quæ Auctor Historicæ Disquisitionis enarrat politiore adhibito stylo, ac meliore fortasse methodo servata.

III. Oblationem Thomæ Deo factam Casini a parentibus, veluti certam habet ac indubitatam Marcus-Antonius Scipio, Placentinus patria, Benedictini Cœnobii sub titulo S. Sixti ibidem alumnus, in Elogiis Abbatum Monasterii Casinensis, quæ Neapoli apud Octavium Beltramum anno 1640. f. ac iterum anno 1643. apud Jacobum Gaffarum in 4. prodierunt: de professione vero Monastica voto solemni emissa satis obscure loquitur. In Appendice ad Landulphum Abbatem LVI. sic ait: „ Landulpho secundum jam suæ administra„ tionis annum agenti Divum Thomam ipsius ne„ potem quinquennem Parentes educandum obtu„ lere, eo prorsus modo quo Tertullus olim & „ Equitius, Romanorum nobilissimi, liberos suos „ Placidum & Maurum Divo Benedicto religio„ sa disciplina imbuendos tradiderunt. Nec enim „ apud Casinum moris erat (quidquid alibi se„ cus in nostris etiam Cœnobiis sancte & lauda„ biliter fieri consuevisset) ut Nobilium Virorum „ filii ad Monachorum scholas admitterentur, nisi „ quibus ex parentum spontanea oblatione statu„ tum esset, ubi adolevissent, religiosi status pro„ fessionem emittere. " Causas affert, quibus permoti Comites Aquinates fortasse constituerint, puerulum Thomam in Cœnobio Casini offerre Deo sub regula S. Benedicti; ac nihilominus eo ipsum in loco diutius non mansisse, neque adhæsisse ordini Benedictino, sponte fatetur. „ Quod si Thomas (inquit) diu inter Monachos educatus, „ nostro tamen Ordini non adhæsit, id vero ne„ mini mirum videri debet: nam præterquamquod „ bellum atrox, quod inter Pontificem Romanum „ & Fredericum Imperatorem exarserat, cum toti „ Campaniæ, tum nominatim Casinati Sodalitio „ maxime calamitosum, tam eidem Thomæ, quam „ cæteris Monachis attulit alio demigrandi neces„ sitatem; parentum insuper consilia & machina„ tiones de Casinati Abbatia cum illi suboluisset, „ ab omni semper bonorum spe atque ambitu alie„ nissimo, cogitationes suas ad aliud vitæ genus „ amplectendum convertit, in quo posset dignita„ tum insignia, & titulos omnes facilius ac pro„ babilius in omnem vitam declinare. "

Obscuriora quoque pauca verba scripserat eodem circiter tempore Constantinus Cajetanus Siculus, Ordinit Benedictini vir illustris, in Epistola Nuncupatoria ad Patres Societatis, quæ præfixa legitur Opusculo *de Religiosa S. Ignatii sive Enneconis*, *Fundatoris Societatis Jesu*, *per Patres Benedictinos institutione*, Venetiis edito anno 1641. apud Christophorum Thomasinum. Ait ille: *Omitto nunc ceremonias ritusque Benedictinos*, *quos sacer hic ordo Prædicatorum*, *mei amantissimus*, *quotidie frequentare non cessat*: *præterquamquod Angelicum illud Ecclesiæ lumen*, *Thomas Aquinas*, *Doctoribus Benedictinis non abs re adscribendus venit*. Hujusce operis vices narrat omnes laudatus Marianus Armellinus: mihi vero sat fuerit animadvertere, Constantinum Cajetanum ab Annalium Ecclesiasticorum parente ad Annum CCCCXCIV. num. 77. & 78. inter illos notari, *qui perperam Sanctissimo Patriarchæ Benedicto quos non genuit*, *alienos partus supponunt*; *qui nimio ejusdem Ordinis*, *sub quo profitentur*, *amore*, *nonnullos fama illustres Viros*, *ejusdem fuisse regulæ professores*, *imprudenter & inconsiderate nimis affirmant*; *qui veritatis candorem non illustrant*, *sed obscurant*: *& nullum habentes delectum*, *quoscumque repererunt doctrina vel sanctitate claros*, *eosdem sub Sancti Benedicti regula constituunt professores*.

IV. Sunt alii vero clarissimi Viri ex Ordine Benedictino, qui apud Casinenses oblatum ac Novitium fuisse Thomam arbitrantur, minime vero solemni professione emissa, aut oblatione de se a parentibus facta voto firmata, Monachum veri nominis: imo sunt etiam qui eo sancto in loco moribus & litteris dumtaxat imbuendum, in veste sæculari traditum, non admodum repugnant. Priorem sententiam disertissimis verbis profert Joannes Caramuel in Theologia Regulari Tomo I. Libro VI. Disp. XXXIX. num. 445. ubi hæc habet: *Attamen infantes sic devoti a parentibus*, *sine nota aliqua*, *imo laudabiliter*, *cum ad ætatem pubertatis veniebant*, *poterant Religionem illam deferere*, *& reverti ad sæculum*, *aut transire ad aliam Religionem*, *si judicabant convenientius*. *Sic Divus Thomas studiorum causa legitime potuit*, *imo debuit discedere*, *non obstante parentum oblatione* .... *Monasterium devotos pueros potuit dimittere vel ante*, *vel post pubertatis annos*, *ut etiam quoslibet Novitios*. *Videatur Sylvester Verb. Religio* 2. *q.* 10. *&* 13. *ubi expendit circa oblationem hujuscemodi curiosas aliquot difficultates*.

At ipsa demum argumenta, quæ Scriptores alios Benedictinos induxere, ut a parentibus crederent Deo oblatum devotumque Thomam Casini sub regula S. Benedicti, haud multo videtur Erasmus Gattula habuisse in pretio; utpote qui, eadem omnia postquam exhibuit, proque virili instauravit, puerulum denique Thomam eo in Cœnobio, moribus litterisque imbuendum in veste sæculari dumtaxat, traditam fuisse, ultro permittit: Verba ejus refero, quæ loco prius citato in calce habentur: *Sive tamen*, inquientis, *quo tempore Casini morem traxit*, *Monachorum habitum Sanctus Thomas induerit*, *quod verisimillimum esse pauci opinantur*: *sive in laicali permanserit*, *perstude nobis est*. *Neque enim parum gloriæ Casinensibus accedit*, *quod Sancti hujus in moribus optimi fuerint institutores*, *atque ipsum in Grammaticalibus*, *Logicalibus*, *& Philosophicis erudiverint*. *Itaque memorandus fuit in hac nostra Historia*: *nec tamen ideo Casini Monachum se Deo vovisse*, *asserimus*. Hæc varia sunt Scriptorum placita, quæ diligentiore examine versat Dissertatio, quam aggredior.

CAPUT II.

Argumenta, *quæ videntur evincere*, *quinquennem Thomam a parentibus Deo oblatum apud Casinenses*. *Ritus oblationis hujusmodi*, *si qua fuit*, *Monachatum ejusdem*, *aut solemnem professionem non probat*. *Neque illum suadent*, *quæ decentiæ argumenta vocantur*. *Adhuc impuberem Thomam*, *Abbate cedente juri si quod aquisiverat*, *ad sæculum rediisse in scholis Neapolitanis informandum litteris*, *satis indicant Historiæ*.

I. OBlatum a parentibus Casini Thomam, quinque natum annos, Deo sub regula S. Benedicti, pro certo Disquisitor habet: capiturque admiratione, si qui sint qui rem hanc in dubium advocare potuerint. Rem hanc ante tradiderant Angelus de Nuce, Marcus-Antonius Scipio, & Joannes Caramuel: eamdemque post omnes crambem recoxit Erasmus Gattula. Scriptorum ex Prædicatorum ordine, aliorumque testimonia proferuntur, qui Thomæ synchroni fuerunt, vel suppares, ipsiusque vitam ac gesta scripserunt, ac testes jurati adhibentur in Processu Canonizationis ejusdem. Guillelmum de Tocco primum affert Disquisitor capite III. Historicæ Disquisitionis num. I. „ coævum, ut inquit, Aquinati nostro scriptorem, ejusque sodalem: qui capite I. Vitæ ab illo descriptæ, rei fidem locu„ pletissimam facit: Landulphus Comes Aquinas, „ & Theodora Theatis Comitis filia, *parentes* „ *ejus* (inquiens) *sic enutritum* (domi) *liben*„ *ter Deo offerunt*, *& quinquennem ad Monasterium* „ (Casini) *per nutricem cum bona societate trans*„ *mittunt*, *in quo instrueretur sanctis moribus*, *di*„ *vinis illustrationibus* (illuminationibus) *præpa*„ *randus*. En tibi oblatum Deo puerum Tho„ mam, & quidem quinquennem adhuc, atque te„ nellum. " Hanc Vitam exhibent Bollandi continuatores ad diem VII. Martii. Guillelmum de Tocco minus proprie *sodalem Aquinatis* vocat ille: utpote qui se dumtaxat *vidisse* ipsum *scribentem*, *& audivisse prædicantem & legentem*, narrat in Actis inquisitionis anno 1319. institutæ num. LVIII. apud eosdem Bollandistas.

„ Non longo sequitur intervallo Ptolomæus „ Lucensis, Episcopus Torcellanus, quippe qui „ Divi Thomæ tum Romæ tum Neapoli discipu„ lus fuisse dicitur Libro XXII. Historiæ Ecclesiasticæ, quæ Ms. extat in Bibliotheca Va„ ticana, quamque sæpissime laudat Odoricus Ray„ naldus in Annalibus. " Capite XIX. *Hic Thomas in sua pueritia*, inquit, *nutritus fuit in Abbatia Montis Casini*, *qui sunt Monachi nigri*: *& secundum morem Nobilium illius patriæ*, *ut patet de Beatis Mauro & Placido*. „ En tibi rursus nutri„ tum in Casinensi Monasterio Thomam puerum, „ in eum sane modum quo nobiles pueri Maurus „ & Placidus, quos nemo negat sub Monastica „ Divi Benedicti disciplina Deo dicatos atque de„ votos, primam illic ætatem exegisse. " Ptolomæi Lucensis Historiam Ecclesiasticam ex duobus Mss. codicibus Ambrosiano, & Patavino vulgavit doctissimus Muratorius anno 1727. inter Rerum Italicarum Scriptores Tomo XI. Quæ verba profert Disquisitor, habentur citati Libri XXII. capite vigesimo. Minus vero accurate dictum, Ptolomæum *non longo sequi intervallo* Guillelmum de Tocco: cui potius ipse præmittendus fuerat. Non *Libro* XXII. sed XXIII. Historiæ Ecclesiasticæ testatur ille capite VIII. se *confessionem* Doctoris nostri *sæpius audivisse*, *cum ipso multo tempore conversatum esse familiari ministerio*, *ac ipsius auditorem fuisse*.

„ Suffragatur S. Antoninus, Archiepiscopus „ Florentinus, tertia Parte Chronici Titulo 23. „ cap. VII. §. I. *Completo*, inquit, *ætatis suæ „ quinquennio, parentes ejus puerum Deo offerunt; „ & cum decenti comitatu, tamquam alterum Samuelem ad Heli, ad Monasterium Montis Casini „ ex Ordine S. Benedicti mittunt, moribus & litteris imbuendum; ne tam præclarum vitæ speculum conversatio sæcularis aliqualiter inficeret cum „ mundanis*. En tibi pariter ad Casinense Monasterium missum Thomam, non sæculo mundoque relictum, sed oblatum Deo, perinde ac „ Samuelem, quem pia mater necdum conceptum „ Deo voverat atque addixerat. "

His addit extranea testimonia duo, Bartholomæi de Capua, Logothetæ & Protonotarii Regni Siciliæ; ac Boni, Solitarii cujusdam, qui faustum Theodoræ Comitissæ proxime parituræ vaticinium denunciavit. Primus „ testis acceptus, „ omni exceptione major, in Processu Canonizationis Sancti Thomæ, quem apud Bollandum „ in Actis Sanctorum legere est, ad diem VII. „ Martii capite IX. num. 76. ubi hoc ipsum inter cetera Divi Thomæ gesta, interposito etiam „ sacramento contestatur: *Pater origine nobilis atque potens Monachavit dictum Fr. Thomam puerum, disponens eum Abbatiæ præficere Casinensi*. „ Quid hoc autem est, *Monachavit*, nisi Monachum fecit? . . . . Quid etiam illud alterum, „ *disponens eum Abbatiæ præficere Casinensi?* nisi „ eo ritu Monachatum jam tunc fuisse puerulum „ Thomam, & Monasticæ vitæ addictum, unde „ illi ad Casinensem Abbatiam, aliquando pro „ meritis obtinendam, aditus fieret.

„ Hinc illud Eremitæ cujusdam, pietate & sanctitate illustris, cui nomen Bono, vaticinium „ Theodoræ Comitissæ proxime parituræ denunciatum, (quod refert Guillelmus de Tocco „ capite I. num. 2.) *Paries filium, quem vocabis „ Thomam: & tu & vir tuus cogitabitis eum facere Monachum in Monasterio Montis Casini, in „ quo corpus B. Benedicti quiescit: habentes spem „ ad magnos ipsius Monasterii reditus pervenire per „ illius Filii vestri apicem & prælaturam. Sed „ Deus de illo aliter ordinabit, quia erit Frater „ Ordinis Prædicatorum &c.* Quis ergo non videat, Parentes sic affectos, & ad amplissimos „ Abbatiæ reditus inhiantes, id egisse reipsa quod „ in Processu Canonizationis testatus est Regni „ Siciliæ Protonotarius, *Thomam puerum monachasse*? Non aliter enim filii sui in suscepto „ Monastico instituto firmitatem, stabilitatem, „ atque constantiam sibi poterant adpromittere, „ qua sola posset ad optatam Prælaturam pervenire. "

Hæc eadem argumenta habet omnia Erasmus Gattula loco citato: eademque fine dubio pridem adhibuerat Angelus de Nuce in sua Dissertatione, quam Disquisitor adversarius, & ipse Gattula laudant manuscriptam, videruntque, & exscripserunt. Quomodo vero pueri a parentibus Deo offerrentur in Monasterio, Sanctissimus Patriarcha Benedictus explicat in Regula capite LIX. hisce verbis: *Si quis forte de Nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus: & cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri involvant in palla altaris, & sic eum offerant*. Quo loco Disquisitoris animadversionem non prætermitto: „ Nec quemquam, (*inquientis*,) fore „ arbitror, qui Thomam vere proprieque Deo „ oblatum a parentibus neget, quod per alios „ (maximeque *nutricem*) ad Casinense Monasterium missus ab jis fuerit. Quasi vero legatione quoque fieri oblatio non posset: cum & „ Othlonum perinde quinquennem a parente, „ missa legatione, oblatum Deo legamus in Vita „ S. Bonifacii Capite II. *Ab ægrotante patre per „ legatos idoneos ad Monasterium directus est*. " Quam egregie miscet omnia. Edmundus Martene in Commentario ad caput LIX. Regulæ sic habet: *Poterant tamen parentes per alios, filios suos offerre, ut patet ex Othlono in Vita S. Bonifacii capite* II. Non Othlonum, sed Bonifacium per alios, quam per parentes, oblatum Deo, notat Martene; probatque ex Othlono in ejusdem Bonifacii Vita: sed ipsum Othlonum, missa legatione, Deo oblatum intellexit Disquisitor, probatque (perperam scilicet) ex Vita S. Bonifacii. Hujusce Vitam ab Othlono concinnatam ediderunt Canisius, Serrarius, Mabillonius Sæculo III. Benedictino. Capite II. citato hæc habentur verba: *Pater, qui solus erat impedimento, repentina infirmitate correptus, pristinam mentis pertinaciam deposuit, puerumque per legatos idoneos ad Monasterium . . . direxit*. Quod aliis monumentis & exemplis evincit laudatus Martene.

Petitionis prædictæ, ac oblationis formulam exhibeo, quam erutam ex Ms. codice Casinensi describit Gattula loco citato, protulitque Disquisitor ex Angeli de Nuce Dissertatione. Nempe: „ Ego N. Princeps, vel Comes in Dei omnipotentis nomine hunc filium meum N. coram „ Domino N. Abbate, & cuncta congregatione „ hujus sancti loci, trado in hoc Monasterio S. „ Confessoris Christi Benedicti, cujus corpus hic „ continetur, coram testibus cum oblatione atque „ petitione, in hoc sancto Cœnobio regulariter „ permansurum, & cum ceteris gratanti animo „ militaturum; ita ut ab hac die non liceat illi „ collum excutere de subjugo regulæ, sed magis „ studeat ejus instituta servare: & ut hæc mea „ traditio inconcussa permaneat, promitto sub juramento coram Deo & Sanctis ejus, numquam „ per me, numquam per suffectam personam, nec „ quolibet modo facultatem exeundi de hoc Monasterio me illi tribuere. Ad firmamentum hujus meæ petitionis, manu propria eam subter „ firmavi, & idoneis testibus affirmare curavi. „ Ego N. subscripsi &c. "

II. Hunc oblationis puerorum impuberum, oblatique Thomæ quinquennis ritum adsumit Disquisitor, veluti principium inconcussum, ex quo impositam Aquinati obligationem numquam redeundi ad sæculum, deque se factam a parentibus oblationem ratam habendi, vitamque profitendi Monasticam apud Casinenses colligat, ac evincat. Ejus verba dedi capite superiore num I. sed hoc etiam loco repetenda sunt, ut quas vires argumentum habeat, quod ipse *demonstrationem* vocat, quisque deprehendat. Ait ergo capite I. num. I. sibi esse *demonstrandum*: „ Thomam Aquinatem, „ anno ætatis suæ quinto, ad Cœnobium Casinense a parentibus missum esse, non piis dumtaxat moribus primisque litterarum rudimentis „ inter alios nobiles pueros informandum; sed Deo „ sub Divi Benedicti Monastica disciplina *oblatum*, „ ac velut in Monachum consecratum pro jure „ patriæ potestatis; ut *jam tunc* religioso instituto adstrictus, *numquam redire posset ad sæculum*; sed potius adultam ætatem adeptus, oblationem de se a parentibus factam *ratam haberet*, „ vitamque Monasticam ibidem expresse *solemniterque profiteretur*: quod & ille pubertatem tandem ingressus, *pro illius ævi more, & ex sacris „ Ecclesiæ legibus executioni demandavit*. „

Fidem hoc loco datam ut liberet (hoc enim opus, hic labor) ritum illum oblationis puerorum olim ex præscripto regulæ S. Benedicti frequentari solitum, eisdemque impositam tum non redeun-

redeundi ad sæculum, tum indeptæ pubertatis tempore Monasticam vitam profitendi obligationem, integro capite II. *explicat, asserit, vindicat*, qua exemplis, qua Pontificum rescriptis, qua decretis Conciliorum, qua Monachorum constitutionibus, qua clarissimorum Virorum suffragio. Quibus lato calamo enarratis, Caput suum denique tertium his verbis exorditur: „ Quid nunc „ si Thomam ostendero, ex tenellis illis pueris „ unum, qui Deo sub Divi Benedicti Regula a „ prima pueritia vovebantur? Annon Benedicti„ no instituto *jam tum* addictus, ac plane obstrictus habendus erit, *ut non ultra redire posset ad „ sæculum*? " Ita porro se rem habuisse, contendit ille, Scriptorum testimoniis in medium prolatis, quæ superiore numero I. descripta sunt. *Demonstrationem* habes, quam magnifice jactat Disquisitor.

At hunc Disquisitori explicanti, afferenti, & vindicanti ritum, repugnat nemo. Ritum illum olim frequentissimum, quo pueri sic oblati, ubi pubem indepti essent, ad exsolvendum parentum votum tenerentur, nec Monasticæ professionis jugum excutere possent, sed expressam tunc professionem emittere deberent, vel potius Monasticam obligationem pridem inductam ratam habere, probare, ac roborare tenerentur, extra dubitationis aleam posuerunt Hugo Menardus in Regulam S. Benedicti, Joannes Mabillonius Præfat. II. in Sæculum IV. & Præfat. I. in Sæculum VI. ord. S. Benedicti, & inter Analecta, Edmundus Martenius in Commentario ad caput LIX. Regulæ S. Benedicti, & Ludovicus Thomassinus Parte I. Vet. & Novæ Ecclesiæ Disciplinæ Libro III. capp. LVI. LVII. & LVIII. Si quæ videntur difficultates ritum illum impetere, ex jure naturæ, ac divino, & civili desumptæ; excutiunt omnes ac elidunt clarissimi laudati Scriptores, quibus addo Petrum Gibertum in Corpore Juris Canonici Tomo II. in Tractatu poster. de Ecclesia Titulo XIV. sect. IV. Illud erat Disquisitionis caput, an ævo Divi Thomæ *mos ille* vigeret, quo pueri oblati *numquam redire possent ad sæculum*? An *Sacræ Ecclesiæ leges* adhuc obtinerent, quibus Thomas adstrictus oblationem de se factam, si qua fuit, *adultam tandem ætatem adeptus, ratam haberet*? An pro sui ævi more, & ex sacris Ecclesiæ legibus ita fuerit tenellus Thomas Deo oblatus in Cœnobio Casinensi, ut pubes jam factus vitam adhuc Monasticam ibidem expresse solemniterque profiteri teneretur? Hunc morem, has Ecclesiæ leges pronum erat inficiari, ævo Divi Thomæ viguisse: neque sane id evincunt documenta illa superiorum sæculorum, quæ solum larga manu profudit Disquisitor, ut fucum faceret; Gregorii nempe II. Romani Pontificis Rescriptum ad Bonifacium Moguntinum Episcopum, Concilii Toletani quarti & decimi decreta, Isidori, Bernardi, Lantfranci suffragia; aliaque demum Bedæ, Placidi, Mauri, Bonifacii Moguntini, Hildebrandi exempla, quæ sola profert ille, quorumve recentius Hildebrandi exemplum ad medium spectat undecimum æræ christianæ sæculum.

Contra namque liquet omnibus, ritum eumdem, sæculo XII. cadente, quoad eam præcipuam partem, qua pueris obligatio imponebatur, ne a parentibus oblati Deo sub Monastica disciplina, *redire umquam*, cum ad annos pubertatis pervenissent, *ad sæculum possent*, relaxatam fuisse, ac ævo Divi Thomæ in desuetudinem abiisse. Novum jus istud invexisse dicitur Clemens III. cujus hæc verba sunt capite, *Cum virum*, de Regularibus: *Utrum ea, quæ infra discretionis annos a parentibus Monasterio tradita, habitum Religionis induens benedictionem accepit, & exiens postmodum se cuidam militi copulavit, ad Monasterium redire cogatur. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod cum juxta Concilii Toletani (IV) censuram, Monachum aut paterna devotio, aut propria professio faciat; quidquid horum fuerit allegatum tenebit, revertendi ad sæculum aditu penitus interdicto. Non enim videtur illa Monasticæ professionis a se posse jugum excutere, cum eam non constet evidenter contradixisse, cum benedictionem accepit, quam nonnisi in ætate discretionis recipiunt quæ velantur*. Ubi filiorum, quos paterna devotio Monasteriis obtulit, requiritur præsumiturque ratihabitio in ætate adulta. Ab anno 1188. rexit Ecclesiam Clemens III. ad annum 1191. quo temporis intervallo Decretalis illa scripta fuit. Luculentiora sunt Cælestini III. qui Clementi successit, verba eodem Tit. de Regularibus cap. *Cum simus*. Nempe, *si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit monachalem: si ad hoc induci nequiverit, non est allatenus compellendus: quia tunc libitum sibi erit eum dimittere, & bona paterna quæ ipsi ex successione proveniunt, postulare*. Cælestini vestigia premens Innocentius III. anno 1198. suffectus, aliquanto etiam distertius rem definit apud Thomassinum Parte I. citata Libro III. capite LIX. num V. *Cum cautum*, inquiens, *reperiatur in canone, ut minoris ætatis filiis, qui oblati Monasterio fuerint, suscipientes habitum vel tonsuram, si a Prælatis suis anno quintodecimo requisiti, se in assumptæ Religionis proposito consenserint permansuros, pœnitendi licentia præcludatur: alioquin eis non adimatur ad sæculum redeundi facultas, ne coacta præstare Deo servitia videantur*. Hæc habentur in Epistola CXVI. Libri quintidecimi apud Baluzium. Ac demum ne actum agere videar, remque notissimam, qua de agunt laudati omnes Scriptores, vano labore exponam, satis hoc loco fuerit cum Joanne Mabillonio concludere in Observationibus de oblatione puerorum in Monasteriis inter Analecta: *Sæculo demum duodecimo in desuetudinem penitus abire cœpisse hanc puerorum oblationem, ejusque obligationem sublatam esse decreto Clementis Papæ III.* cap. Cum simus. Cælestinum III. allegare voluerat Vir doctissimus: exciditque calamo Clemens III.

Rem igitur impossibilem tentat Disquisitor, dum nimia confidentia sibi *demonstrandum* proponit: Thomam puerulum Monachis Casinensibus traditum, *jam tunc religioso instituto adstrictum, numquam redire potuisse ad sæculum, pro illius ævi moribus, & ex sacris Ecclesiæ legibus*: ac perperam sane, vanoque conatu, ad id probandum, *explicare, asserere, vindicare* aggressus est ritum illum tum puerorum oblationem, tum eorum non resiliendi obligationem complectentem, uti sæculis superioribus usu receptum, ita Divi Thomæ ætate quo ad illam impositæ pueris non resiliendi obligationis partem fine dubio sublatum obsoletumque. Fuerit namque in Monasterio Casinensi a parentibus oblatus Thomas quinquennis pro patria potestate: at ritus ille, cum ævo illius prædicta exsolutus fuerit non resiliendi obligatione, adsumi nonnisi imprudenter veluti principium potest, ex quo Monastica professio voto solemni roborata colligatur. Abit ergo in auras magnifica illa Disquisitoris *demonstratio*, quæ uni prædicto ritui innititur, ut inde evincat, oblatum Thomam redire ad sæculum non potuisse. Probandum illi fuerat, Thomam Casini apud Benedictinos mansisse ad annos usque pubertatis: ipsumque in adulta ætate, cum ex sacris Ecclesiæ legibus ævo suo vigentibus potiretur facultate resiliendi ac redeundi ad sæculum, ratam nihilominus oblationem de se factam habuisse, emisisseque solemnia vota. Neutrum probat ille.

III. Non

III. Non adeo vero in Hiſtoria Monaſtica hoſpes erat, quin agnoſceret tandem, nullam fuiſſe pro ævi more; quo degebat Thomas, obligationem, qua ille, ſi oblatus umquam exſtitiſſet, *redire nunquam poſſet ad ſæculum*. Hinc ſecum ipſe pugnat manifeſte. „ Duo in priſco illo ritu (inquit capite III. num. 3.) ſecernenda veniunt, „ oblatio ſcilicet ipſa puerorum Deo ex voto pa- „ rentum fieri ſolita; tum obligatio pueris ipſis „ impoſita, in ſuſceptæ Monaſticæ vitæ inſtituto „ remanendi, votaque ſolemnia dum ad ætatem „ adultam venirent, expreſſe atque ex publica „ formula nuncupandi. Secundum hoc penitus ſu- „ ſtulit Clemens III. *cap. Cum ſimus*, *de Regu-* „ *laribus* : puerisque licentiam fecit, ut cum pu- „ bertatem attingerent, abjecto cucullo, redire ad „ ſæculum poſſent, patrimonium repetere, ac et- „ iam matrimonio jungi. " Quis umquam credidiſſet, dici potuiſſe a Diſquiſitore : ævo Divi Thomæ pueros oblatos *redire ad ſæculum potuiſſe*; qui ſibi demonſtrandum propoſuerat, Thomam Monachis traditum jam tunc religioſo inſtituto adſtrictum, *nunquam redire potuiſſe ad ſæculum* ? Utrumque tamen ſcribit ille diſertiſſime. Animadverte rurſus, caput illud, *Cum ſimus*, quod habetur in Titulo de Regularibus, adtribui Clementi tertio, ſphalmate ſcilicet, quod e calamo Doctiſſimi Mabillonii exciderat, ut adnotavimus, non correcto, ſed adoptato.

Hinc relicto ſtricti juris argumento, quod in præſidium ſuæ cauſæ adhiberi non poterat, alia quærit Capite IV. ſolius *præſumptionis* momenta. *Veriſimillimum* eſſe ait, piiſſimum Thomam, qualem etiam a prima ætate in Monaſterio ſeſe præbuerat adhuc impubes, voluiſſe oblationem de ſe factam implere, non irritam facere: *ad quod cum ſin minus jus ſtrictum, at certe pietas, religio, cultuſque Deo debitus obligabant*. „ Clemens au- „ tem (Cæleſtinus) hujus nominis tertius (ejus „ verba ſunt capite IV. citato num. I.) obliga- „ tionem dumtaxtat ſuſtulerat *ſtricti juris*, & *fo-* „ *ri*, ut ita dicam, *externi*; ne (quod priſci fe- „ rebant Canones) oblati Deo, devotique a pa- „ rentibus pueri, profiteri demum ſolemniter co- „ gerentur : obligationem tamen *ex religione ac* „ *pietate* natam minime ſuſtulerat. Quid enim „ filium vere pium ac religioſum *magis deceat*, „ quam conceptum de ſe parentum votum imple- „ re, non irritum facere ? niſi grave obſit impe- „ dimentum, quod nullum in Thoma adoleſcen- „ te ſanctiſſimo, & aſceticæ vitæ candidato reli- „ gioſiſſimo deprehendimus : quem potius ad id „ ex religioſa inſtitutione propenſiſſimum, egre- „ gieque factum habemus. Eum itaque, ex quo „ pubertatem ingreſſus eſt, parentum votum im- „ pleviſſe, ſeque votis Monaſticis ſolemniter ob- „ ſtrinxiſſe, juſte pro ejus pietate ac religione „ *præſumitur*. " Quid ? quod, Thoma ipſo judice, probari poſſe contendit, adhuc etiam poſt Clementis III. vel potius Cæleſtini III. Reſcriptum, *obligationem nihiloſecius manſiſſe ex decentia, ut ajunt, ex pietate, ex religione natam*. „ Nam „ Quodlib. IV. Art. XXIII. de hac ipſa puero- „ rum oblatione, ac traditione ex parentum vo- „ to ſuis adhuc temporibus frequentata ſermo- „ nem habens, *teneri* pueros docet utique *ex pie-* „ *tate atque decentia*, factam illam de ſeipſis ob- „ lationem, cum ad annos pubertatis pervene- „ rint, tamen habere, atque ita ſolemniter pro- „ fiteri : illudque Gregorii II. Romani Pontifi- „ cis oraculum in dicti ſui probationem affert, „ ſuoque accommodat inſtituto . . . *utrum liceat* „ pueris *intra ſepta Monaſterii* traditis *in infantiæ* „ *annis, poſtquam pubertatis impleverint annos*, „ *egredi*, & *matrimonio copulari, hoc omnino de-* „ *vitamus* . . . . Quidni ergo Thomam Aquina- „ tem, ab ipſa infantia piiſſimum religioſiſſimum- „ que, cum jam quinquennis Deo fuiſſet obla- „ tus; id demum feciſſe puberem exiſtimemus, „ quod ille ſin minus ſtricto jure, at ſaltem ex „ pietate ac religione faciundum exiſtimabat? "

Antequam novum iſtud *præſumptionis*, *veriſimilitudinis*, *ac decentiæ* argumentum diſcutio ac elido, nonnulla mihi ſunt proponenda animadverſione digniſſima. Ac primo quid illud eſt, Romanos Pontifices, obligationem pueris pridem impoſitam non redeundi ad ſæculum, dum annos pubertatis attingerent, ex eorum oblatione ortam, relaxantes & auferentes, abſtuliſſe illam *in foro, ut ita dicam, externo* ? Imo vere factam illis in foro conſcientiæ facultatem, monaſticum habitum exuendi, ac redeundi ad ſæculum, eorumdem Pontificum jam citata verba omnino declarant. Quid etiam illud eſt, obligationem *ex religione & pietate natam*, minime ſublatam fuiſſe, propterea quod filium vere pium ac religioſum nihil *magis deceret*, quam conceptum de ſe parentum votum implere ? Nempe ſus deque miſcentur omnia. Veram obligationem *religio ac pietas* inferre poſſunt : at veri nominis obligationem affert nullam ſola *decentia*. Oblati pueri porro, cum in ipſo foro conſcientiæ exſoluti fuerint obligatione non redeundi ad ſæculum in adulta ætate; veræ alicui obligationi *ex religione ac pietate natæ* adhuc illos obnoxios, nemo ſapiens dicat. Id vero *decuiſſe* ſi contendas : decentiam hanc omnem reponam ego, eorumdem cum adoleverint, ſubditam eſſe libero conſenſui & arbitrio; integram eiſdem facta a Pontificibus, novo jure inducto, facultate reſiliendi, vel non reſiliendi, prout ſibi expediens, re maturius conſiderata, viſum fuerit.

Divi Thomæ præterea doctrina manifeſte abutitur Diſquiſitor, dum ea fulciri contendit diſtinctionem illam duplicis debiti, ac duplicis obligationis, tum *ſtricti juris*, & *fori externi*, tum *decentiæ*, *pietatis*, *ac religionis*; illamque priorem ſublatam ſcribit ævo Divi Thomæ, ac poſteriori obnoxios adhuc fuiſſe pueros illos, qui a parentibus Deo offerebantur. Integrum attente lege citatum Articulum Divi Thomæ; in eoque ne verbulum quidem ullum invenies, quod illud *pietatis*, *religionis*, *decentiæ* debitum indicet. Probandum adſumpſerat S. Doctor : *pueros etiam infra annos pubertatis in religionem recipi, non eſſe ſecundum ſe malum, imo expediens & fructuoſum*. Poſitam confirmat propoſitionem Veteris ac Novi Teſtamenti ſcripturis. Tum differentiam quamdam hac in re obſervandam eſſe monet, hiſque verbis declarat, quæ Diſquiſitor ſpectaſſe videtur: *Nam pueri ante annos pubertatis ex naturali jure ſunt ſub cura parentum, propter hoc quod patiuntur diſcretionis defectum, ſecundum quem poſſint bene regere ſeipſos : & ideo in hac ætate poſſunt quidem religioni tradi, ſi a parentibus offerantur : & erit rata traditio, præcipue ſi, cum ad annos pubertatis pervenerint, ratam habuerunt paternam oblationem*. Quibus docet ille, pueros quidem a parentibus offerri poſſe, ac firmam tum demum eorum fore traditionem, cum pueri pubertatem adepti ratam fecerint parentum oblationem : ſed *pietatis*, *religionis*, *decentiæ* debitum, quo illi tenerentur oblationem de ſe factam non irritam facere, video nullum. Cur ergo Gregorii II. Romani Pontificis reſcripto, debitum & obligationem ſonante, utitur Sanctus Doctor ? Nempe cum iſtud duo complectatur, & oblationem impuberum pro jure patriæ poteſtatis, & puerorum debitum non reſiliendi; & hoc jam pridem relaxatum ſublatumque fuerat, illa vero in uſu adhuc erat : illud propterea in ſui dicti probationem adſumere poterat Angelicus Præceptor, ſuoque inſtituto accommodare. Unde & alia ſubjicit Patrum teſtimonia, quibus id unum probatur : *expediens eſſe & fructuoſum ut pueri infra annos pubertatis in Religionem recipiantur*.

Jam vero fateor ego, quod norunt omnes, ritum illum oblationis puerorum, ea tamen obligatione mulctatum, qua in annis etiam pubertatis obſtringebantur non reſilire, ævo Divi Thomæ viguiſſe. Hac de re nulla cum Diſquiſitore controverſia, quam diligentiſſime exponunt ſæpe laudati Scriptores, & confirmant exemplis : imo vel hodieque oblationem illam in uſum revocari poſſe, admonent Thomaſſinus Parte I. Libro III. citato capite LVIII. num. 5. & 6. Franciſcus Suarius Tomo III. de Religione Libro V. cap. I. & II. Proſper Fagnanus Part. II. Libri III. Decretalium Cap. *Si quis*, & Cap. *Cum virum*, de Regularibus. Ad hujuſce ritus, eo quo Divi Thomæ ætate vigebat modo, ac hodieque in uſum revocari poſſet, ſplendidiorem expoſitionem, addendum eſt : nec parentibus, qui puerum Deo ſemel obtulerint, integrum amplius eſſe, ut ipſum revocent : neque filio impuberi ante annos pubertatis, adhuc patriæ ſubjecto poteſtati, licere egreſſum moliri e Monaſterio, veſtemque deponere quam induit pro jure parentum. Ita ſane tenet docetque, communem ſententiam declarans, laudatus Suarius loco citato capite I. num. 13. „ Interrogabit aliquis, *inquiens*; quidnam opere- „ tur hæc oblatio facta filii alicui Religioni ? „ Communis reſponſio eſt, oblationem hanc tria „ operari. Unum eſt, ut talis licite poſſit a Re- „ ligione recipi, ac retineri. Secundum eſt, ut „ pater non poſſit amplius uti patria poteſtate ad „ revocandum filium; quia jam ceſſit juri ſuo; „ & quantum in ſe eſt, donationem filii Religio- „ ni fecit, quam ipſa acceptavit. Tertium eſt, „ ut neque ipſe filius ſua voluntate egredi poſſit „ ante annos pubertatis : quia in illa ætate, non „ tam ſua, quam patris voluntate regendus eſt : „ pater autem voluntatem ſuam in Religionem „ tranſtulit. "

Atqui vero fieri poterat (quod poſtremo loco animadvertendum eſt) ut prædicti pueri pro parentum poteſtate oblati Deo in aliquo Cœnobio, abjicere cucullum poſſent, & redire ad ſæculum infra pubertatis annos, ipſo videlicet Monaſterio, aut Monaſterii Abbate ſeu Prælato cedente juri quod acquiſiverat. Rem per ſeſe notam exponit Suarius loco citato : *Et ideo*, inquiens, *ſine Religionis conſenſu exire non poteſt* (puer oblatus) *infra illam ætatem, quamvis ab ipſa Religione poſſit expelli etiam ante pubertatem, ſi ita ſibi expedire cenſuerit, quia pro nullo tempore ſe obligavit ad retinendum illum*. Paria ſunt Joannis Caramuelis verba, quæ capite I. num. 4. allata ſunt: *Monaſterium devotos pueros potuit dimittere vel ante, vel poſt pubertatis annos*. Silveſtrum laudat, cujus hæc demum refero V. Religio 2. q. II. *Advertendum eſt, quod nec pater, nec tutor, nec magiſter, nec quicumque alius cuſtos, poteſt impuberem de Religione extrahere propria auctoritate, ſive ex voto, ſive ſine voto intraverit : ſed auctoritate habentis poteſtatem in Monaſterio*.

Quibus præmiſſis, jam dare hoc loco liceat, Thomæ Aquinatis parentes pro jure patriæ poteſtatis ipſum Caſini obtuliſſe Deo ſub regula ſancti Benedicti. Demus etiam atque fateamur, eoſdem Thomæ parentes, ſi quidem ipſum Deo per oblationem devoverint, non amplius ipſum revocare potuiſſe : neque ipſi Thomæ infra pubertatis annos egredi Monaſterio ſua voluntate licuiſſe. At contingere tamen potuit (quod inficiari nequit Diſquiſitor) ipſius Thomæ egreſſus e Monaſterio; ſive demum ille pubertatem adeptus, pro facultate novo jure inducta, expediens judicaverit, ad ſæculum remeare; ſive ut e Monaſterio egrederetur infra etiam pubertatis annos, iterumque rediret in patriam poteſtatem, expediens duxerit Caſinenſis Cœnobii Abbas. Neutrum contigiſſe, validis argumentis demonſtrandum foret, ut Monachatus Divi Thomæ, aut religioſa voto ſolemni ab ipſo nuncupata profeſſio evinceretur.

Ad *præſumptiones*, & ad argumenta *decentiæ* confugit Diſquiſitor, ut Aquinatem, pubertatis annos adeptum, oſtendat oblationem a parentibus de ſe factam votis nuncupatis ratam habuiſſe : ac ſi certum compertumque foret, ſub Monaſtica Benedictinorum diſciplina ipſum ad pubertatem uſque verſatum eſſe, neque dimiſſum e Cœnobio infra pubertatis annos, juri cedente Abbate, ſi quod in illum acquiſiverat. Ad argumenta *præſumptionis ac decentiæ* quod attinet, ea demum ad id unum rediguntur omnia : *Filium vere pium ac religioſum nihil magis decere, quam conceptum de ſe parentum votum implere, non irritum facere, niſi grave obſit impedimentum, quod nullum in Thoma adoleſcente ſanctiſſimo, & aſceticæ vitæ candidato religioſiſſimo deprehenditur* : ac ſane *de piiſſimo tunc & religioſiſſimo adoleſcente opinari nefas eſſe, eum abjecto cucullo ad ſæculum rediiſſe*. Nimirum exiles quis non videat hujuſmodi præſumptiones & conjecturas ? Solidiores, melioreſque præſto forent, quæ decentiſſimas rationes exhiberent, quibus adoleſcens Thomas permotus, expediens judicaverit, Caſinenſi Monaſterio egredi, ac redire ad ſæculum, ſupremi Numinis illuſtrationibus præparandus, quod *aliter de ipſo ordinaverat, quia erit Frater Ordinis Prædicatorum*, ut prophetice prædictum fuerat : Quidni etiam, cum eidem parentum conſilia & machinationes de Caſinati Abbatia ſuboluiſſent, ab omni ſemper honorum ſpe atque ambitu alieniſſimo, ut ait Marcus-Antonius Scipio, abjicere cucullum voluerit, cogitationeſque ſuas ad aliud vitæ genus amplectendum convertere, in quo poſſet dignitatum inſignia ac titulos facilius ac probabilius in omnem vitam declinare ? Ipſe demum Caramuel audiendus eſt : *Sic Divus Thomas*, inquiens, *ſtudiorum cauſa legitime potuit, imo debuit diſcedere, non obſtante parentum oblatione : quia Angelica illa mens Magiſtris ſuis doctior debebat publicis Univerſitatibus eſſe admirationi, & mundo magiſterio : quæ ſi in Caſinenſi Monaſterio manſiſſet, fuiſſet minus culta, & quaſi abſcondita : careretque Eccleſia excellentiſſimis libris, quos perpetuo choro addictus ſcribere non potuiſſet. Eſt ratio manifeſta, quia licet Caſinenſes pro tempore haberent doctiſſimos Viros, Doctoris tanti ingenium indigebat expeditiore tempore. Propterea juſte & legitime ipſi a Caſinenſibus perſuaſum reor, ut excoleret ingenium Neapoli, & tranſiret ad Prædicatores, ubi melius Deo, Eccleſiæ, & populo ſervire poſſet. Monaſterium devotos pueros potuit dimittere, vel ante vel poſt pubertatis annos, ut etiam quoslibet Novitios*.

IV. Reque ipſa dimiſſum e Cœnobio Thomam, juri ſuo cedente Abbate, dimiſſumque infra pubertatis annos, Hiſtorica documenta demum non deſunt, quæ ſatis indicare videntur. Teſtem affero Guillelmum de Tocco, cujus hæc verba ſunt in ejuſdem Vita capite I. *Abbas autem prædicti Monaſterii providus, cum adverteret in puero tam certa & matura futuræ perfectionis indicia . . . . advocato Domino Landulpho, patre prædicti pueri, ei conſuluit ut puer mitteretur Neapolim ad ſtudendum, ubi ſtudens inciperet addiſcere, quæ Deus tot indiciis cœperat demonſtrare : unde puer de utriuſ-*

que

que parentis consilio, Neapolim mittitur. Quid ultra requiritur? Si quod in puerulum Thomam ex oblatione parentum jus acquisiverat Abbas Casinensis, ultro cedit ille, carere consentiens tam claro puero, ut ejusdem in scientiis profectui consuleret; consilioque suo patrem permovit, ut omni, si qua teneretur, difficultate summota, filium de Cœnobio dimissum reciperet, mitteretque Neapolim *ad studendum*. Id contigisse vero infra pubertatis Thomæ annos, prædicta Guillelmi verba, quæve præmiserat, prorsus evincunt. Ait enim: „ *Parvulus* (Thomas Casini excep„ tus) a nobilium puerorum consortio se fre„ quentius absentabat: habens in manu chartu„ lam, continentem in scripturis prima addisce„ tium puerilia rudimenta. Erat autem prædi„ ctus *puer, non verbis garrulus, sed meditari in„ tra se incipiens taciturnus . . . . ut jam in eo no„ vitiæ ætas ostenderet quæ postmodum provecta „ monstraret. Abbas autem prædicti Monaste„ rii &c.* " Quibus plura dantur indicia tenellæ ætatis eo toto tempore, quo Casini moram traxit Thomas, quove Casino discessit, ac Neapolim profectus est. Habemus *parvulum* Thomam sub Monachis institutoribus morum sanctitate in dies crescere; jam *primis addiscentium puerilibus rudimentis* apprime instructum apparere; ac in *novitia illius ætate* fulgentissima Sanctitatis ac Scientiæ futuræ signa micare. Habemus etiam, providum Abbatem, animadvertentem *in puero* tam certa futuræ perfectionis indicia, Landulpho patri *prædicti pueri* consilium dedisse, ut Neapolim mitteretur idem *puer* Thomas. Quæ sane omnia egressum Thomæ e Cœnobio Casinensi in tenella ætate infra pubertatis annos egregie probant.

Satis vero de hac chronographiæ parte, de qua infra fermo redibit. Adde, Neapolim missum Thomam sæculares frequentasse scholas, ac sæculares audivisse Magistros; ipsumque tum denique sæculo valedixisse, cum Prædicatorum ordinem ingressus est (quæ duo capitibus sequentibus demonstranda mihi sunt:) consectamque sine dubio rem habes, qua de agimus, ex oblatione Divi Thomæ a parentibus facta, quam hoc loco damus Disquisitori indulgentes, Monachatum ejus aut Monasticam professionem voto solemni emissam nullo modo probari ac evinci posse.

CAPUT III.

Argumentis, quæ pro Divi Thomæ oblatione afferuntur, traditum dumtaxat ipsum Casinatibus, tamquam nobilem sæcularem puerum, moribus, & litteris instruendum, evincitur. Petri Damiani sententia perperam opponitur. Sæcularium puerorum Scholis non obstant Monachorum mores, & consuetudines. De habitu disseritur, quem Casini gestare Thomas potuerit.

I. OBlationem Thomæ pueruli, Casini a parentibus Deo factam sub regula S. Benedicti, veluti demonstratam putat Disquisitor, positamque extra dubium omne, Scriptorum testimonio allato, *quorum verba mirov* (inquit capite III. num. I.) *non satis a recentioribus ponderari, ut rem per sese patentissimam deprehendant*. Verba illa, quæ pariter Angelus de Nuce & Erasmus Gattula adhibent, quæve M. Antonius Scipio, & Joannes Caramuel spectasse videntur, iterum sub oculos pono; Guillelmi de Tocco inquientis: *Puerum sic enutritum libenter Deo offerunt, & quinquennem ad Monasterium Casini per nutricem cum bona societate transmittunt, in quo instrueretur sanctis moribus, divinis illustrationibus præparandus*; Ptolomæi de Luca, qui hæc habet: *Hic Thomas in sua pueritia nutritus fuit in Abbatia Montis Casini, qui sunt Monachi nigri: & secundum morem nobilium illius patriæ, ut patet de Beatis Mauro & Placido*; Sancti Antonini sic habentis: *Completo ætatis suæ quinquennio, parentes ejus puerum Deo offerunt, & cum decenti comitatu, tamquam alterum Samuelem ad Heli, ad Monasterium Montis Casini ex Ordine S. Benedicti mittunt, moribus & litteris imbuendum, ne tam præclarum vitæ speculum conversatio secularis aliqualiter inficeret cum mundanis*; Bartholomæi demum de Capua: *Pater origine nobilis atque potens*, inquientis, *monachavit dictum Fratrem Thomam, disponens eum Abbatiæ præficere Casinensi*.

Hæc libuit capite superiore, ut Auctori Historicæ Disquisitionis indulgeremus, de vera oblatione intelligere, qua facultas erepta foret, parentibus quidem oblatum Thomam revocandi, ac ipsi oblato puero pro sua voluntate infra pubertatis annos ad sæculum redeundi. Qua gratis etiam admissa oblatione, negaverit puto nemo, Disquisitoris argumentum, quod ex eo ritu desumebatur pro Monachatu Benedictino Sancti Thomæ, nullius nihilominus momenti esse, ac in auras abire: sive Thomas ipse pubem adeptus, expediens judicaverit, cucullum abjicere, Casino discedere, cogitationesque suas ad aliud vitæ genus amplectendum convertere: sive Casinensis Abbas fuerit ille, qui juri cesserit quod in ipsum acquisiverat, eoque infra pubertatis annos carere voluerit, ut meliora charismata eidem procuraret. Quid nunc vero, si ostendero, Thomæ nostri educationem in Casinensi Cœnobio ita describi a priscis illis laudatis Scriptoribus, ut nulla appareat oblati pueri disciplina, sed solum sæcularis illustrioris familiæ ephebi in moribus litterisque informatio? Res ita se habet.

Quæ verba allegati Scriptores habent, aut neglecta a Disquisitore, aut prætermissa, diligentius expendenda sunt, ac proferenda. Guillelmus de Tocco ait loco citato num. 5. *Puerulum* Thomam, quem *a parentibus Deo oblatum* dixerat, *cœpisse in dicto Monasterio sub disciplina Magistri diligentius educari: puerulum* ipsum *a nobilium puerorum consortio, qui ibidem nutriebantur in moribus, ut moris erat patriæ, se frequentius absentare* consuevisse: deque profectu ejus in moribus litterisque instructam Matrem, *ad gaudium mirari de puero, conferentem in corde suo, & speranten impleri in filio quæ prædicta fuerant spiritu prænunciante divino* per Bonum Eremitam. Ait etiam Ptolomæus Lucensis: *Puerum Thomam nutritum fuisse in Abbatia Montis Casini, secundum morem nobilium illius patriæ; ut patet de Beato Mauro & Placido: ibidemque in sua pueritia in Logicalibus optime profecisse, habentem secum semper Magistrum specialem, more Nobilium regionis*. Paria scribit S. Antoninus: Thomam puerulum *oblatum* Casini, *aliorum puerorum nobilium, qui ibi nutriebantur, puerilia devitasse consortia*: seque *sequestrasse ab eis cum poterat*, in ea litterarum *rudimenta* incumbentem, quibus instruebatur. Ait demum Bartholomæus de Capua: Fratrem Thomam *crescentem* Casini *in vita, moribus, & scientia*, ac *virtuosum & exemplarem hominibus, missum fuisse Neapolim*.

Digna sunt animadversione illa, quæ prisci laudati Scriptores habent, *nutritum* in Abbatia Casinensi Thomam fuisse, *secundum morem Nobilium illius patriæ*: alios ibidem exstitisse *Nobiles pueros*, qui nutriebantur in moribus, *ut moris erat patriæ*: habuisse Thomam specialem Magistrum, *more Nobilium regionis*. Cuique præjudiciis vacuo nil hæc significant aliud, nisi morem apud Casinates vigentem, nobilissimos pueros illius patriæ & regionis, utique sæculares, moribus & litteris imbuendi. Quid enim opus erat *morem patriæ & morem regionis* exprimere, si de more pueros oblatos recipiendi, eosque informandi institutis Monasticis sermo fuisset, qui cæteris etiam Monachorum Cœnobiis alia qualibet in regione sitis communis erat; quive Casini non pro *more patriæ & religionis*, sed ex statuto Regulæ S. Benedicti capite IIX. inscripto, *De filius nobilium vel pauperum qui offeruntur*, & ex antiqua Monachorum consuetudine in usu erat?

Prætermitti non debent illa Ptolomæi Lucensis verba, *Habens semper secum specialem Magistrum, more nobilium*: quæ de juniorum Monachorum, oblatorumque puerorum Magistro nemo intelligat; sed de quodam veluti Cameræ præfecto, sive custode, Thomæ educationi specialiter præsidente: non ex Religionis ac Monasticæ disciplinæ præscripto, sed *more nobilium regionis*; quo id obtinuisse intelligimus, ut si qui pueri nobiles illius patriæ & regionis tradebantur Casinatibus informandi moribus & litteris, specialem hi Magistrum, custodem, præfectum haberent, qui eorum educationi invigilaret. Legere quidem est apud Martene de antiquis Monachorum Ritibus Libro V. capite v. plures educationi puerorum oblatorum deputatos fuisse Magistros; principalem unum, sequiorem locum tenentes alios: quidni ergo ex his alter (inquies) Tomæ educationi specialiter deputatus fuerit? Attentiore mente expende verba a Martenio ibidem num. 5. relata, tuaque difficultas evanescet. Nempe, *Pueri autem, qui sunt in Conventu nostro, non ultra senarium protendunt: & eorum Magistri si non plures, tamen numquam sunt pauciores. Ideo vero tot habent Magistros, aut eo amplius, quoniam non licet alium unquam assumi pro Magistro præter eos qui deputati sunt. Cellarius tamen, Granetarius, Hospitarius, Eleemosynarius, Camerarius, si viderint quod opus sit, possunt esse Magistri sine licentia, & intrare scholas eorum*. Quo in loco viderit nemo *specialem* illum *Magistrum*, quem *secum semper* puerulus Thomas *habebat*; ipsumque datum eidem in custodiam, non ex legum statuto, sed *more nobilium regionis*.

Quid est etiam illud Guillelmi Tocco, & S. Antonini: *a Nobilium puerorum consortio, qui ibidem nutriebantur in moribus, se frequentius absentabat*? Satis intelligimus, de consortio impuberum oblatorum, quos numquam fugisset, minime fuisse Thomam: sed ut Familiæ illustrioris puerum, aliorum consortium pro libertate frequentius evitasse, ut orationibus litteratumque studio liberius vacaret. Eo vel maxime quidem, quod puerorum oblatorum disciplinam, quam loco citato describit Martenius, diligenter observanti colligere liceat; pueros oblatos simul pietatis & religionis officia exercere debuisse, simul litteris & scientis vacasse, simul ivisse quocumque ire opus erat, ac nequidem ad naturæ necessaria officia sine socio & Magistro ire, ipsis umquam permissum esse. Quæ deinde educatio Thomæ in Casinensi Cœnobio ita a coævis illis laudatis Scriptoribus enarratur, ut ipsum quidem christianis *moribus* informatum esse appareat, litterarumque *rudimentis* imbutum: at monastica disciplina, quæ nocturnas diursnasque preces, jejunia, flagellationes, ac id genus alia plura complectitur, videatur nulla.

De Thomæ filii profectu in moribus litterisque cum certior redderetur Mater ejus, nimio gaudio exultabat ipsa, teste Guillelmo de Toco: *speraba*tque *impleri in filio suo, quæ prædicta fuerant, spiritu prænunciante divino*. Prædixerat quippe Solitarius quidam, Bonus nomine: *Gaude Domina*, inquiens, *quia es prægnans, & paries filium quem vocabis Thomam: & tu & vir cogitabitis eum facere Monachum in Monasterio Montis Casini . . . . habentes spem ad magnos ipsius Monasterii reditus pervenire per ipsius filii vestri apicem & prælaturam: sed Deus de ipso aliter ordinabit, quia erit Frater Ordinis Prædicatorum, tantæ claritatis in scientia, & sanctitatis in vita, quod in mundo similis suo tempore non poterit inveniri*. Parentum cogitationes reditibus Casinensium inhiantes, simulque spes Matris implendum aliquando fore, quod sibi divino spiritu prænunciante prædictum fuerat, optime conciliatur, si Thomam intelligamus nobilem sæcularem puerum Casinatibus traditum, & moribus imbuendum. At quæ prudens fuisset spes Matris de prophetiæ adimpletione, quam ipsa, quantum in ea erat, impedire curasset, si filium Deo inter oblatos pueros Casini devovisset?

Hæc vero omnia cum tam accurate prisci illi Thomæ Vitæ Scriptores enarraverint, sponte fluit: eo etiam naturali ac pervio sensu, quem hodieque de pueris, qui Religiosi instituti Viris instruendis traduntur, usurparemus, Thomam illos dixisse *oblatum Deo a parentibus*, eumdemque a Patre, disponente eum Abbatiæ præficere Casinensi, *monachatum fuisse*; quod nempe in Monasterio nutriendus traditus est, ibidem moribus christianis & litteris imbuendus: eo etiam parentum consilio, ut puer erga Monachos Magistros affectus, Monasticam vitam adultior factus eligeret, ac tandem Abbatiæ præfecturam, cujus reditibus inhiabat Landulphus, aliquando pro meritis obtineret. Quo denique sensu eumdem Thomam ab eisdem comparatum Samueli, Mauro, Placido, par est intelligere; ut nempe comparatio dumtaxat instituatur quoad familiæ splendorem, ortus nobilitatem, ac ætatem tenellam, qua Thomam, sicut illos, in domo Dei, in Monachorum Cœnobio sub Sanctissimis Præceptoribus tradere parentes voluerunt, moribus christianis & litteris informandum. Paucis verbis hoc idem ante proposuerat argumentum Jacobus Echardus in Vita & Elogio ipsius Thomæ: quod pluribus additis animadversionibus nos illustravimus.

II. At cœpto pergit Auctor Disquisitionis Historicæ, inficiaturque confidenter, *Numinum* etiam *fide* invocata, Thomam infantulum, sæcularem tamen, ad externas dumtaxat Casinensis Monasterii scholas fuisse missum, ut ingenii cultum dumtaxat caperet, moresque christianos nobilissimo puero congruentes sub tantis institutoribus addisceret. At numinum fides, quam invocat ille, satis non est eluendo argumento, quod protulimus. Peccat imo contra æquissimas Criticorum leges, queis præscribitur, nonnisi omnibus expensis, quæ narrant Historici, de illorum sententia judicium proferendum; cum verba tamen illa *oblationis* Thomæ *a parentibus Deo* factæ dumtaxat expenderit Disquisitor; cætera neglexerit aut prætermiserit omnia, quæ satis evincunt de vero proprioque ritu oblationis puerorum haud illos cogitasse. Reponit ille capite III. num. I. Thomam quinquennem ex puerorum Deo sub regula Divi Benedicti oblatorum numero dicendum esse: „ cum „ nullæ Casini, nisi pro oblatis Deo pueris (quo„ rum illic copia erat) scholæ essent, juxta Con„ ventus Aquisgranensis decetum num. 45. *Ut scho„ la in Monasterio non habeatur, nisi eorum qui obla„ ti sunt*. Unde & Beatus Petrus Damiani Epi„ stola XVII. Libro II. quæ est ad Desiderium Ab„ batem & Cardinalem, eidem gratulatur, quod „ Casinum cum venisset, scholas ibi puerorum non „ invenisset, utique externorum & sæcularium: *In„ ter cateros autem virtutem flores, quos in illo agro „ pleno, cui benedixit Dominus, reperi, fateor hoc „ mihi non mediocriter placuit, quod ibi Scholas pue„ ro-*

„ *rorum*, *qui sæpe rigorem sanctitatis enervant*, *non* „ *inveni*. " Mortem obiit Petrus Damiani anno æræ christianæ 1072.

Temere prorsus puerorum sæcularium scholas Casino abigere studet Disquitor, Petri Damiani sententia, & Aquisgranensi decreto in probationem adductis; cum illum intellexerint Viri clarissimi, scholas puerorum oblatorum in Cœnobio Casinensi negare; ac istud scholas confirmet puerorum sæcularium, non intra claustra Monachorum positas, sed Monasteriis adjunctas: ut propterea eisdem monumentis evinci queat, Monachorum mores & consuetudines non obstare, quominus parvulus Thomas Casinatibus traditus fuerit, moribus & primis litterarum rudimentis imbuendus; non ut oblatus Deo sub regula S. Benedicti, sed ut illustrioris familiæ sæcularis puer. A sententia Damiani incipio, eamque de scholis puerorum oblatorum Doctissimi viri intelligunt. Ludovicus Thomasinus Parte II. Libro I. capite CI. num. 8. Scholas a Petro Damiani non inventas in Cœnobio Casinensi intelligere videtur scholas puerorum, externorum utique & sæcularium: at Parte I. Libro III. cap. LVIII. num. 1. & 2. verba Damiani interpretatus fuerat de Scholis impuberum, *quibus in solam spem Monasticæ professionis institutio accurabatur*. Eadem est expositio Mabillonii in Observationibus de oblatione puerorum in Monasteriis inter Analecta, & Prælatione I. in Sæculum VI. Ord. S. Benedict. §. v. num. 36. & Edmundi Martene in Commentario ad caput LIX. Regulæ.

Sed ita scholas in Damiani sententia accipi debere, ejus verba postulare videntur, si exhibeantur omnia & expendantur. Ait enim Epistola citata, vel in Opusculo XXXVI. capite XVI. Tomo III. *Inter cæteros autem virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus, reperi; fateor, hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi scholas puerorum, qui sæpe rigorem sanctitatis enervant, non inveni: sed omnes, aut senes, cum quibus utique Nobilis vir sedebat in portis Ecclesiæ; aut juvenili vivendi decore lætantes, qui nimirum ut filii Prophetarum, idonei sunt ad Eliam per deserta quærendum; aut certe adolescentiæ adhuc flore vernantes, qui juxta Apostolum Joannem vigere malignum*. Ubi animadversione dignum, scholas illorum puerorum Casini non inventisse Petrum Damiani, *qui sæpe rigorem sanctitatis enervant*. Sed hoc plane malum ex oblatis pueris timendum erat, aut propter corporis adhuc tenelli imbecillitatem disciplinæ Monasticæ rigorem sustinere non valentibus, aut pro ætatis ingenio petulantibus plerumque & tumultuosis. Numerat deinde, quos ibi invenit: *aut senes* scilicet, *aut juvenili vivendi decore lætantes*, *aut certe adhuc adolescentiæ flore vernantes*. Video Monachos jam canos; juvenes etiam, sed professos; adolescentes tandem, qui Novitii dicuntur in Constitutionibus Monachorum, justa in ætate tirocinium ponentes: nullos video tenellos pueros, & impuberes oblatos, qui cucullum gestantes Monastica disciplina instituerentur.

Quidni demum scholas puerorum oblatorum clausas Casini ea ætate, narret Petrus Damiani, quas etiam non ferebat, sustulitque aliorum Cœnobiorum usus? Rem differunt certissimis documentis Mabillonius & Martenius locis citatis. Martenii verba referre liceat: „ S. Udalricus in „ Præfatione ad Consuetudines Cluniacenses, „ quam VVillalmo Hirsaugiensi Abbati nuncupat, eumdem laudat, quod lege lata providisset, ne pueri admitterentur propter abusum „ nonnullorum, qui non tam devotionis, quam „ sublevandæ familiæ gratia, hos in Monasteria intrudebant: *ut opus sit*, inquit, *præ-* „ *fatis sæcularibus alium sibi nidum providere*, „ *ubi reponant pullos suos abortivos*, *velut exheredatos*. De qua re addit paullo post: *Sentiat* „ *quisque quod voluerit: ego certus sum, illam te* „ *radicem funditus extirpasse*, *ex qua sola præcipue* „ *omnia Monasteria sunt destructa*, *quæ destructa* „ *sunt vel in Teutonica*, *vel in Romana lingua*. „ Idem quoque animadverterat Guigo, Cartusiæ „ Majoris Prior quintus, uti ipse testatur in „ Statutis capite XXVII. *Pueros sive adolescentulos non recipimus*[1], *quia per eos Monasteriis multa contigisse dolemus*, *& magna spiritualia simul & corporalia pericula formidantes*. Unde etiam Petrus Damiani ad Casinenses scribens: *Inter cæteros*, inquit, *virtutum flores* „ *&c.* "

Quæ omnia Petri Damiani sensum, quem exposuimus, mirifice confirmant. Hinc mos ille Casinensium Monachorum a Damiano propositus commendatusque non obstat, quominus puerulus Thomas traditus eisdem fuerit, piis dumtaxat moribus ac primis litterarum rudimentis, non relicto sæculo, imbuendus: scholas imo puerorum oblatorum, Casinum invisens, cum non invenerit ille, hoc subinde inspecto more, si ad ævum Divi Thomæ protendi debeat, deque Thoma quidpiam probare velit Disquisitor, telum quod ipse vibrat, contra ipsum torquendum est; ac jure potiore colligendum, in numero puerorum oblatorum non fuisse Aquinatem.

Quamquam non is ego sum, qui huic argumento hæream; & ex more illo, quem Petrus Damiani anno 1063. ut notat Baronius ad eumdem annum num. 2. observavit Casini, de more ibidem vigente ævo puerili Thomæ, judicium ferre velim. Quin non me fugit, in ufu fuisse eo sancto in loco, ut pueri reciperentur, tum paullo ante dictum annum 1063. ut patet de Landenulpho, de quo agit Petrus Diaconus, ejusdem Cœnobii Monachus, Libro de Viris illustribus Casinensibus capite XL. Tomo XXI. Biblioth. PP. Lugdun. & apud Muratorium Tomo VI. Scritorum Italiæ: tum postea sæculo duodecimo, quo Roboas, Petrus, Raynaldus, Gelasius ab eodem Scriptore *parvuli oblati* dicuntur; deque ipso Petro Diacono legimus: *quinquennem* ipsum *sub Girardo Abbate Beato Benedicto oblatum fuisse a Patre*. Satis est ergo, Damiani sententia haud confici, puerorum sæcularium scholas Casini clausas fuisse, uti pro ævo etiam Divi Thomæ perperam arguebat Disquisitor; quamquam præterea morem non recipiendi pueros oblatos, de quo idem loquitur Damianus, non diu apud Casinates viguisse, libentissime fateor.

III. Felicior ne fuerit Disquisitoris interpretatio, qua Conventus Aquisgranensis decretum, *ut Schola in Monasterio non habeatur*, *nisi eorum qui oblati sunt*, intelligendum putat de puerorum sæcularium scholis, a Monachorum Cœnobiis omnino eliminatis? Judicium ferat peritissimus Mabillonius. Sic habet ille Præfatione I. in Sæculum III. Ordinis S. Benedicti §. IV. num. 11. „ Quia „ vero pueris Deo consecratis non conveniebat, „ ut sæcularium collegio commiscerentur, alii „ ab aliis divisi sunt in duas turmas, & *Scholæ* „ *interiores & exteriores* constitutæ. Certe Abbates nostri in Concilio Aquisgranensi anno 817. „ statuerunt capite XLV. *ut Schola in Monasterio* „ *non habeatur nisi eorum qui oblati sunt*: non „ quo pueri sæculares ab scholis nostris excluderentur, sed quo diversi ordinis pueri divisis in „ scholis non unos audirent præceptores. Quo magis mirari subit securitatem recentioris Scriptoris, qui eo capite existimat Monachos ab „ docendis externis pueris removeri jussu & „ aucto-

„ auctoritate Principis: cum statutum istud ab „ ipsis Ordinis nostri Præfectis conditum sit eo „ animo, ut ne pueri Monachi sæculari cum pueris sæcularibus discerent; ea scilicet animi sententia, qua vetuerant capite XLII. *ut nullus plebejus seu clericus sæcularis in Monasterio ad habitandum recipiatur*, *nisi voluerit fieri Monachus*. „ Erant ergo, ut dixi, in Cœnobiis nostris scholæ *interiores* seu *claustrales* pro Monachis; *exteriores* seu *canonicæ* pro sæcularibus. Hujus discriminis auctorem habemus imprimis Ekkehardum in Vita S. Notkeri capite VII. *Traduntur post breve tempus Marcello Scholæ claustri* „ *cum Beato Notkero Balbulo*, *& cæteris Monachici* „ *habitus pueris: exteriores vero*, *idest Canonicæ*, „ *Isoni cum Salomone & ejus comparibus*. " Paria docet idem Doctissimus Mabillonius in Tractatu de Studiis Monast. cap. II. quod inscribitur *de Academiis*, *seu Collegiis*, *quæ singulis temporibus in Cœnobiis Ordinis Benedictini floruere*: eademque habet Nebridius a Mundalhem, Canonicus Regularis apud S. Mariam Leopoldinam in Austria, in Antiquario Monastico Epistola 62.

Ex Chronico Centulensi Thomassinus Parte II. Libro I. capite XCVIII. num. 12. hæc profert: *In hoc Cœnobio Duces*, *Comites*, *filii Ducum*, *filii Comitum*, *filii etiam Regum educabantur*. Quod adeo disertum pro re, qua de agimus, testimonium existimavit laudatus Thomassinus, ut asserere non dubitaverit: *Decretum Aquisgranense* (quod minus attentus intellexerat de scholis puerorum sæcularium a Monasteriis prorsus eliminandis) *in usu vocatum non fuisse*, *aut non ubique vocatum*, *aut denique in desuetudinem abiisse*. Hinc demum de scholarum hujusmodi fortuna ac vicibus Mabillonius paucis omnia complectitur, quæ desiderari umquam possunt, loco posterius citato: „ Relatæ Academiæ perseverarunt, inquiens, ac „ perpetuo durarunt in nostris Cœnobiis, tametsi variis vicissitudinibus, ordinisque alterationibus jugiter subjectæ: modo namque efflorverunt, „ modo pene aruerunt, modo demum repullularunt, juxta majorem nempe vel minorem regularis disciplinæ vigorem. " Hinc vero si quis Damiani locum, quem supra expendimus, intelligendum contendat de *interioribus* Monachorum scholis, e quibus pueri sæculares ejecti fuerint, per me licet. Satis est, *exteriores*, ut appellantur, scholas perseveraſſe apud Monachos: quas ævo Divi Thomæ viguisse Casini, in eisque ipsum Thomam moribus & litteris educatum esse, luculento testimonio produnt Scriptores vitæ ejus, qui perhibent, *Nobiles pueros Casini enutritos fuisse in moribus*, *ut moris erat patriæ*; ipsumque puerulum Thomam *ibidem nutritum fuisse secundum morem Nobilium illius patriæ*, *& in logicalibus & naturalibus optime profecisse*.

IV. Quamquam & illud postremo loco addere ad cumulum liceat, *morem illum patriæ & regionis*, quem ævo Divi Thomæ vigentem toties inculcant, dataque opera proponunt attentiore mente considerandum laudati Scriptores, in eo fortasse positum fuisse, ut Monachi Casinates ita sæculares *nobilium* Familiarum *illius patriæ ac regionis* pueros exciperent moribus & litteris imbuendos, ut eos sive intra, sive extra Monasterii septa enutrirent; eosque modesta & humili, vel etiam Monastica veste, devotionis & pietatis causa, induere consuescerent: quidni rursus Monasticis institutis, quæ sæculari eorum statui ac tenellæ ætati congruere poterant, eo fine consilioque informarent, ut ad Monasticam professionem capessendam allicerentur: quin eosdem tamen haberent inter pueros vere oblatos, ac Monasterio devotos, quibus resiliendi habitumque deponendi facultas adempta erat; ac integra demum eorum parentibus potestate remanente, puerulos suos, cum eis placeret[1], e Monasterio revocandi: Morem similem Casini, vel in Monasterio Sanctæ Mariæ de Albaneta, aliisque Neapolitanis aliorum Ordinum in Cœnobiis, hodieque vigere, certiorem me fecere gravissimi Viri.

Remotiora ejusdem consuetudinis exempla sæpe laudatus Thomassinus affert Parte I. Libro III. capite LIX. num. 6. „ Carolus VI. Rex Galliarum filiam quinquennem obtulit Monasterio „ Pixiacensi anno 1393. Repræsentata sunt puellæ „ religionis vota, & instituta regulæ: cumque „ illa se iis obsecuturam spopondisset, statim a „ Priorissa exuta est regiis vestibus, & religiosis „ induta.... Aliquantis post annis, nempe anno „ 1405. (ætatis ejus duodecimo) Rex Pixiacum „ venit, & Filiæ conjugium proposuit, in quod „ ipse hortatu Principum regii sanguinis sui consenserat. Puella, quæ necdum velum religionis „ induerat, respondit se irrevocabili voto fidem „ suam obligasse cœlesti sponso &c. " Ubi regiæ puellæ oblatio quædam a Rege patre facta satis apparet: quæ tamen nec ipsam potestati Monasterii integre addicebat, neque patri ademerat arbitrium eamdem revocandi e Monasterio. Sola educatio, aut institutio videtur in veste religiosa; cui tamen, divino Spiritu afflante, votum adjecerat Filia Regis, quo fidem suam cælesti sponso obligaverat. Jam ante scripserat idem Auctor: „ placuisse Beato Ludovico Galliarum Regi, idque „ testamento quoque decrevisse, ut duo quos in „ Orientali expeditione susceperat, Liberi in Monasteriis enutrirentur: alter apud Dominicanos, apud Franciscanos alter, ut ita suavissime illicerentur ad religiosum institutum: *ut illic* „ *sacris institutis ac litteris instruerentur*, *& ad* „ *amorem salubriter inducerentur: desiderans*, *toto corde*, *ut documentis salutaribus informati*, *Domino* „ *inspirante*, *loco & tempore ipsas Religiones intrarent*. " Hæc habet verba Gaufridus de Belloloco in Vita Sancti Regis apud Continuatores Bollandi ad diem XXV. Augusti, capite II. num 16. ubi & Filios nominat, alterum *Joannem*, & *Petrum* alterum. Hæc vero Sancti Ludovici præfervida vota morem indicant tunc etiam vigentem apud Fratres Minores & Prædicatores, puerulos excipiendi, quos induerent religiosa veste, piisque institutis ac litteris informarent, ac ita suavissime illicerent ad religiosum institutum.

Similis fuerit *mos ille nobilium regionis & patriæ*, quos Monachi Casinates in tenella ætate exciperent imbuendos, ac Monastica veste induerent, ævo Divi Thomæ vigentem: perque me licet, si quispiam contendat, Casini gestasse ipsum Monasticam vestem, non ex ritu veræ propriæque oblationis de ipso a parentibus factæ, sed ex pia quadam invecta consuetudine, ut sic enutriti pueruli, Domino inspirante, loco & tempore Monasticum institutum profiterentur. Hinc etiam pervium sensum denique habes, quo puerulum Thomam *Casini oblatum* dicere potuerint Scriptores Vitæ ejus; & quo scripserit Logotheta, parentes ejusdem *monachavisse* ipsum. Ad graviora jam sermo prodat.